

aQ. B. V.
DISSERTATIO POLITICA
DE
BELLO
EJUSQ[UE] CAUSIS:
Quam
PERMISSU AMPLISSIME FACULTATIS PHILOSOPHICÆ,
IN REGIA AD AURAM ACADEMIA,
PRÆSIDE
Viro Amplissimo Celeberrimoque
DANIELE ACHRELIO,
ELOQUENTIÆ PROFESSORE ORDINARIO.
Pro Gradu Magisterii,
Publico examini committit,
S. R. M. Alumnus,
NICOLAUS J. LECHANDER,
Westro-Gothus.
Ad diem 28. Junij ANNO M. DC. LXXXII.
In Auditorio Maximo horis solitis.

Excusa ABOÆ, a Regiæ Academiæ Typogr.
JOHANNE LAURENTII WALLIO.

-i-

Reverendissimo Amplissimoque Domino,
M. ANDREÆ OMÆNIO,
Inclytæ Dioecesis Scarensis Episcopo gravissimo,
Consistorii Ecclesiastici Præsidi, & Regii Gy-
mnasii, quod ibidem floret, Ephoro celeberrimo,
Mecænati & Patrono pio obsequii cultu
suspiciendo:

UT ET
Pl. Reverendo Præclarissimoque Domino,
M. PETRO LAURENTINO,
Præfatæ Dioecesis Archipræposito meritissimo,
Consistorii Ecclesiastici Adessori Primario, & tem-
pli cathedralis Pastori vigilantissimo, Promotori
reverenter colendo:

Cæterisque Pl. Reverendis & Clarissimis Dominis,
Gymnasii Scarensis LECTORIBUS meritissimis,
& Consistorii Ecclesiastici ADSESSORIBUS
dignissimis, Fautoribus & Promotoribus pie
colendis:

-ii-

SALUTEM, FELICITATEM ET ANNOS!

Ex quo literis vacare cæpi, nihil non de vote de ingenuis artibus cogitavi, & nefas duxi divinum hunc spiritum, in quo coelestis lucis reliquiæ radiant, in corporis tenebris sepelire; inscitæque caliginem, quæ spissæ instar nubis, mentem nostram ob lapsum primorum parentum obsidet, literarum luce splendore[ue] quodam modo non discutere; cum tantum tamque illustre donum nobis coelitus contigerit, ut in nulla non terrarum ora, literarum nomen ac decus vigeat. A primo idcirco ætatis limine Musis pia parentum cura consecratus, mirari in aliis didici, quod mihi deesse vidi; & piis id votis unice flagitavi, ut si non ad sublimia, saltem ad mediocria scientiarum adsurgere valerem. Prima autem adolescentiæ initia non leve excepit malum, dum præclarum parentem, piis conatibus prolixè faventem, acerbitas fati abstulit, & me hoc solatio destitutum, vix præclari quidquam in literarum studiis audere sivit. Coelesti autem ope, & præclaro bonorum favore adjutus, eo adsurgere valui, quo a primo ad almam hanc Musarum sedem accessu tendere in votis fuerat. Flagitat autem nunc ætatis & studiorum meorum ratio, nec non constitutionum Academicarum tenor, ut antequam in natale solum decessurus, celebre hoc Musarum templum liquero, publicum aliquod studiorum meorum specimen exhibeam. Hæsit idcirco aliquandiu incertus animus, quam potissimum materiam seligerem, diu autem in diversa versatus, ad præsens sese adplicuit negotium. Impulit me considerationis hujus utilitas, quæ nescio quid non augusti & præclari habet, ac simplicem calamum in præceps dejecit. In hoc enim mundi senio, quo omnia in deterius vergunt, horrendus bellorum impetus sin-

-1-

gula quatit, singula perrumpit, singula arcano quodam tremore percellit. Nec uspiam terrarum tam felix stecit imperium, quod non fortunæ vioces subiit, & belli motibus obnoxium non fuit. Floruit Roma gentium caput, & regiones victoriis, regna triumphis, orbem terrore implevit; bellorum autem turbine concussa, tot vices experta est, ut vix pristini splendoris simulacra hodierna dies ostentare queat. Scire idcirco avet animus, quo jure quave injuria suscipiuntur bella, in cujus rei succincta expositione, præsens, Divina coelitus favente gratia, versabitur labor. Movit & illud, quod hoc argumentum haud nuper in illustri hoc Lycæo ventilatum esse deprehendi. Hoc quidquid esto peris, vestris potissimum nominibus, *Reverendissime Dn. Mecænas*, ut & *Pl. Reverendi & Clarissimi Dn. Pomotores*, sacratum esse volui; ut aliquod in Vos prolixæ pietatis documentum ob pulcherrima mihi præstita beneficia existaret, haud dubitans, quin hoc, quidquid fuerit, boni consulatis, & solite favore complectamini clientulum.

Reverendissimo Dn. Mecænati,

ET

Vestris P. Rever. Clarissimisq. Dignitatibus

Sacra pietate addictissimum
N. Lechandrum.

-2-

AUSPICE DEO!

I.

Antequam penitus in rei considerationem provehor, non abs re me facturum esse judico, si primum secundum vetustam in his negotiis consuetudinem, in natales vocis studiosius inquisivero; ut ita expositio nominis ad secretiorem rei cognitionem viam feliciorē pandat. Priscianus bellum dictum esse vult, per Antiphrasin quasi minime bellum seu pulchrum, quod fit omnium quasi immanitatum dira congeries. Grotius in lib. I. de jure belli & pacis, bellum deducit ex voce duellum, per abjectionem τγ u, & mutationem d in b, ut duonus bonus, dui bis, quod inter duos principes potissimum, vel inter duos exercitus in bello res geratur. Sunt & qui bellum deductum esse volunt à belluis, quod belluarum potius quam hominum fit in mutuū fœvire exitium. Cassiodorus a. vocem hanc à Belo originem duxisse ait, à quo non longè discedunt alii, qui derivant à græco Βελορ, quod significat telum, jaculum & sagittam. Nos in hac vel illa sententia tuenda non tam sollicitè sudabimus, cum in expositione vocis prolixius hærere, minus è re esse judicemus; ultima tamen vocis derivatio nobis non incommoda esse videtur, cum his postissimum armis obviam hosti eatur; accipitur etiam telum generatim pro quibusvis armis.

-3-

II.

Inter bellum autem & prælium id interest disc<<r>>iminis, quod bellum vocetur totum illud tempus, quo dissensio manserit hostilis, licet non sit cum hoste conflictus: prælium autem appellatur ipsa pugna, cum de victoria obtinenda inter hostes certatio fiat; licet pulchre noverim has voces sæpe promiscue usurpari. Bellum etiam hic accipitur non pro Antipathia naturali inter res físicas; nec pro bello spirituali inter Deum & mammona, spiritum & carnem &c. sed pro *publicorum armorum justa contentione*, cujus definitio talis esse poterit: Bellum est actio hostilis, ad injuriam propulsandam vel vindicandam a magistratu, consilio, vi armisque contra hostes, pacis retinendæ & consequendæ gratia legitime suscepta & administrata: ut id nervose satis definivit piæ memoriæ Doct. Mich. Gyllenstâlpe in suæ Polit. Disp. 17.

III.

Actio dicitur, etsi armorum seriæ ac induciæ subinde intervenerint, propter actionem tamen bellum suscipitur, & sic fit denominatio a potiori, ut loqui amant in subtili philosophorum schola. Grotius in libro primo de jure belli ac pacis definit bellum, quod sit *status per vim certantium qua tales sunt*: & judicat bellum per actionem non recte definiri posse, quod non rite forsā hic distinguatur inter bellum & prælium, cum sæpe in bello cessetur a conflictu, & consilio ac machinationibus domi in perniciem hostis vigiletur. Sed ob allatam supra rationem non video quid hoc officere possit nostræ definitioni, cum ob actionem potissimum bellum suscipiatur; nec tuto dixerit plane omnem cessare actionem, licet induciæ intercesserint, nisi absurde illum nihil agere statueris, qui induciis factis, belli malis quasi fessus quiescit, & consilio ac machinationibus dira quævis in hostem molitur, viresque collapsas reparat, ut majori deinceps cum malo belli impetus, qui ad tempus

-4-

consedit, recrudescat. *Hostilis* dicitur *actio*, quia publica arma in hostem stringuntur. Non enim cum civibus, neque cum latronibus verum est bellum: illud enim motus civilis, conjuratio & seditio, hoc malignorum justa est persecutio. Indigitatur etiam causa externe impellens, *ad injuriam nempe avertendam vel vindicandam*: tum enim juste suscipiuntur bella, cum in pace vivere non licuerit. Temere idcirco arma in hostem capienda non sunt, nunquam enim lætus belli adfulsit eventus, nisi justa causa necessitatem bellandi imposuerit; quod apposite satis his verbis innuere voluit Euripides:

oUde`j stratšusaj ¥dika, uj Ālqen pflin:

Nam si unius hominis vita apud Deum tanti sit, ut graviter animadvertat in eos, qui illam misero eripiunt, quid fieri putemus; cum per unius edictum tot capita sub gladio gemunt, tot urbes ardent, tot excinduntur nationes? Ubi enim pacis vinculum ruptum fuerit, statim omnia convelli, & cuncta misceri incipiunt: confestim clades urbium cernuntur, gentium excidia, & relucentes flammis hostilibus campi: statim virginum ac matronarum opprobria, plena omnia armorum, sanguinis, suppliciorum. *Quis hæc cum injuste & libidinose fecerit, tremendo Dei judicio faciat satis*, videsis Caussini Dissert: 39. de bello. Innuitur etiam in definitione nostra *causa efficiens proxima principalis*: nempe *magistratus isq[ue] summus*, cujus solius est bellum indicere, illudq[ue] legitime gerere; unde inter jura majestatis etiam potestas indicendi belli recenseri siveverit. Quod etiam pulchre docet Augustinus lib. 22. contra Faustum cap. 75. inquit: *ordo ille naturalis mortalium paci accommodatus hoc poscit, ut suscipiendi belli auctoritas penes principem sit: exequendi autem jussa bellica ministerium, milites debeant paci salutique communi*. Hinc liquet, quod rixæ, pugnæ, inimicitiae & duella privatorum, belli nomen non mereantur. Ita autem jura belli magistratui hic tribuimus, ut non omnis prorsus potestas prærepta sit subditis arripiendi arma

-5-

defensive in casu necessitatis, dum præter opinionem vis externa ingruit, & tempus non ferat illum consuli, qui supremum in imperio jus habet; tunc non tenentur subditi expressum magistratus expectare mandatum, cum sufficiat tacitum. *Naturaliter enim omnes ad arcendam a se injuriam jus habent resistendi*, ut loquitur Grot. l. 1. c. 4. de jure belli & pacis. Cum enim liceat homini privato, in subita opprobria latroni resistere, quidni licebit hostem ultima minitantem amovere, cum auxilium a magistratu per temporis angustiam sperari non possit. Hic tamen probe distinguendum est inter bellum *offensivum & defensivum*. Bello offensivo inconsulto magistratu hostem invadere non licet: justam autem in casu necessitatis suscipere defensionem, contra externum malum fas erit, vide Althus. Pol. de bello. Nec hoc tam belli, quam justæ defensionis nomen meretur. Augetur etiam definitio nostra voce *consilii*, quod hoc non minus quam viribus res amplæ gerantur; omnia enim prius consilio quam armis tentanda sunt. *Vi armisq[ue] indigitatur armorum in bello necessitas, nemo enim sine his feliciter hostem amovere potuit*. Et veluti apes amisso aculeo, aper dente, taurus cornu torpet; ita miles armis destitutus, vix præclari & generosi quidquam audebit. Additur & finis, *conservandæ & reparandæ pacis gratia*. *Eam enim ob causam suscipienda sunt bella, ut sine injuria in pace vivatur*, ut loquitur Romanæ illud facundiae decus Cicero lib. 1. de off. Vox *legitime* excludit bella iniqua & injusta, quæ sine justa suscipiuntur gerunturve causa, vel iniquæ causæ falsum superinducunt colorem. *Sunt quippe ut pacis ita belli jura, nec minus fortiter quam juste ferrum stringere oportet*, ut graviter monet Liv[ius] lib. 5. cap. 27.

IV.

In explicatione definitionis sollicitius paulo occupati fuimus, nunc ardua satis nos excipit controversia, sintne Christianis licita bella? Bella christianis licita esse negant Anaba-

-6-

ptistæ, Photiniani compluresque alii, & cum iis e Patrum schola, Tertullianus & Lactantius. Ajunt illi hominis christiani mores ad lenitatem & humanitatem, non ad sævitiam & vindictam debere compositos esse: sævu[m] & inexplebilem in bellis esse animum, vindictæ cupidum & immitem, variasq[ue] in bello ad peccandum illecebras suppeditari: vexari innocentiam, ali improbitatem, omnia rapinis, cædibus, stupris commisceri; laxatis pudoris & verecundiæ vinculis, morum

sanctitatem & castimoniam profligari, patriam deniq[ue] ex libertate in servitutem, ex florenti rerum statu in cineres redigi, adeoque totam consumi, ut pulchre ad placitum eorum loquitur Schonbornerus lib. 6. Pol. cap. 1. Repugnat enim humanæ naturæ, ajunt, arma tractare, quæ est mitis & placida a Deo creata, non munita cornibus, ut tauri: non instructa dentibus, ut apri: non ab ungvibus parata, ut leones. Et ut pacis commoda multa: ita incommoda plura in bello oriuntur. *In pace enim causæ & meritæ spectantur: ubi bellum ingruit, innocentes & noxii juxta cadunt.* Corn. Tacit. 1. Annal. *In pace filii parentes suos: in bello contra parentes filios suos sepeliunt,* Herod. lib. 1. Premere etiam magis videntur dicta sacri codicis complura, quæ unice monent, ut paci serviamus, & omni studio belli mala declinemus. Licet hic autem haud parum[m] roboris habere adversariorum videatur sententia, nihilominus tamen bellum justum esse licitum, haud obscure patebit, si penitius in rem introspicere velimus, idque probatur 1. *Ex lege naturæ,* quæ destructionem sui odit, & conservationem [conservationem] adpetit. Est enim opus naturæ impressum, ut sicut nemini nocendum esse ducamus, ita a nemine nobis noceri velimus. Quam rem pulchre & apposite [apposite] satis expressit sui seculi decus Cicero lib. 1. de off. *Principio generi animantium omni est a natura tributum, ut se, Vitam corpusque tueatur, declinetq[ue] ea quæ nocitura videantur, omniaque quæ sint ad vivendum necessaria, inquirat & paret.* Quod etiam innuere voluit [voluit] in oratione sua pro T. Annio Milone: *Est enim hæc non*

-7-

scripta sed nata lex, quam non didicimus, accepimus, legimus, verum[m] ex natura ipsa arripimus, hausimus, expressimus, ad qua[m] non docti sed facti: non instituti sed imbuti: ut si vita nostra <i>n aliquas insidias, si in vim, in tela aut latronu[m] aut inimicorum incidisset, omnis honesta ratio esset expediendæ salutis. Hinc planum esse dixerim<<, >> ex lege naturæ licere vim illatam arcere, vitam & corpus tueri ab injuria externa, imminensque malum depellere. Et si liceat homini privato ipsiq[ue] brutis se suaq[ue] conservare, & noxia depellere, quidni licebet illis, qui sceptras gerunt, & cummuni [communi] bono, cui nati sunt, unice consulunt, hostiles impetus avertere, se suaque ab interitu vindicare, & justis illos persequi armis, qui rempublicam cupiunt eversam. *Imo qui non defendit cum potest, tam est in vitio, ac si parentes atque patriam deseruissent, ut loquitur Cicero lib{.} 1. de off. 2.* Etiam probamus bella justa esse licita ex *Sacris oraculis,* quod patet ex historia Mosis Exod. 17. v. 8-9. &c. Et Num. 31. 2. Bello gerendo informatio est data Deut<<. >> 20. Judic. 7{.} In novo testamento Johannes milites stationem suam deserere non jubet, sed monet eos ut stipendio suo sint contenti, Luc. 3. 14. Legitur etiam de Centurione Capernaitico, quod habuerit sub se milites, non tamen a Christo jussus est officium suum deserere. Sed ne sacra profanis miscere videar; hæc sacro Theologorum ordini relinquo. 3: [.] *Ab effectu* etiam constabit bella Justa esse licita, si enim bellorum effectus sint boni & utiles, utique planum exinde fiet, justa bella haud parum utilitatis reip. adferre. Hi (puta effectus) salutem reipublicæ conservant, ejusq[ue] societatem tuentur: auctoritatem Magistratui, subditis incolumitatem acquirunt, ut singuli in tuta & tranquilla pace sua munia exequi possint. Continent externos in officio, quia nemo audet provocare eum, aut injuria afficere, quem intelligit promptum & expeditum esse ad defendendum. Atque ut paucis rem explicem: pacem acquirunt, qua obtenta, agricultura artium nutrix viget, commercia terra marique libere exercentur, & singula prospero rerum florent

-8-

successu. Ad argumenta singula, quæ assertioni nostræ objiciunt adversarii, respondere nimis longum foret, publicæ idcirco illa disquisitioni reservo. Urgent præcipue non licere nobis sub Evangelio constitutis, quæ populo V. T. sunt concessa. Verum probent velim, Evangelium tollere legem naturæ, sic lubens concedam, omne jus belli, legi naturæ licet congruum, cessare.

V.

Bellum legitimum juri divino & naturæ non adversari, prolixè satis ostensum est; flagitat nunc methodi ratio, ut causas, quæ bellum juste movere queant, studiose investigemus. Causa hic quæritur non *universalis*, ipse Deus, cujus nutu & moderamine cuncta geruntur, nec *secunda & propinquior*, ipsa majestas, de qua supra nobis sermo fuit; sed causæ hic indigitantur *impulsivæ*, propter quas bellum juste suscipitur. Nec causa hic intelligitur Theologica, utpote peccatum, quo lacescit coeleste Numen bella immittit: sed politica, quæ Reges ac Principes ad justa impellit arma. Temere enim in hostem ruere non oportet, quippe non est in potestate ejusdem bellum sumere & finire. Sed tum demum juste invadimus hostem, quando tranquilla frui pace non licet, & honestæ omnes pacis conditiones superbe respuuntur. *Misera enim pax vel bello bene mutatur*, ut monet illustris ille scriptor Tacitus 3. annal. Potest idcirco omnis justa belli causa vel ad *defensionem* vel ad *vindictam* revocari. Defensione justa ac necessaria nulla major ac gravior esse causa potest, cum vim vi repellere, omnes leges, omniaque jura sinant. *Hoc enim & ratio doctis, & necessitas barbaris, & mos gentibus, & feris ipsa natura præscripsit, ut omnem semper vim, quacunque ope possent, a corpore, a capite, a vita sua propulsarent*, ut loquitur Cicero pro Milone. *Nam cum duo sint genera decertandi, unum per disceptationem, alterum per vim: eumque illud proprium sit hominis, hoc belluarum: confugiendum est ad posterius cum uti non licet priore*; inquit præstus [käsín päälle korjattu: prædictus] Cicero l. 1.

-9-

de off. Cæterum defensio est aut *aliorum* aut *nostra*. Aliena cum socios & oppressos ab injuria vindicamus. Nostra cum vim a nobis & nostris arcemus, & libertatem, patriam, parentesque armis tegimus. Utriusque meminit Cicero in lib. 3. de rep. *Nullum bellum, inquit, a civitate optime suscipitur, nisi aut pro fide, aut pro salute*. Huc accedit illud Aristotelis in Reth. ad Alexand. *De τοῦ ἰδιώτου πόλεως, ὅτι ἂν αὐτὸν πόλεμος, ἂν ὅτι ἔσται πόλεμος, ἂν ὅτι ἔσται πόλεμος, ἂν ὅτι ἔσται πόλεμος*. Favet & Christianus Doctor Ambrosius de off. lib 1. c. 27. *Fortitudo, quæ per bella tuetur a barbaris patriam: vel defendit infirmos: vel a latronibus socios, plena justitia est*, Vid: Lipsij Pol. l. 5. c. 4. Schonborn. Pol. Lib. 6. Si enim socios vel oppressos gravior aliqua vis urgeat, videtur cogere commune societatis vinculum, & humanitatis nexus, (*natura enim ipsa cognitionem quandam inter homines constituit*, veluti loqui amat Grotius) ut afflictis opitulemur. Quod Romanos fecisse, ingenue fatetur Romani eloquii flos Cicero lib, 3. de rep. *Noster, inquit, populus, sociis defendendis terrarum omnium potitus est*. Defensio autem nostra est vel *religionis* vel *regionis, personarum & bonorum*. Licet enim religio ut spirituale bonum, armis protegi nequeat, ejus tamen liberum exercitium recte armis asseritur. Licere autem pro religione pugnare, liquet exinde quod coelestia mundanis anteponeere debeamus, & nulla ratione admittere, ut religionis exercitia intermittantur. Et quod religionis defensio voluntati divinæ non adversetur patet ex eo, quod institutum Jsraëuitarum adversus Rubenitas de religione defendenda non impediverit Deus, sed legatorum de re cognoscenda iter promoverit, Jos. 22. 13. *Regionis* defensio etiam principi incumbit, quemadmodum enim propter subditorum salutem Reges sceptris admoventur; ita suarum esse partium meminerint, omnem eo dirigere sollicitudinem [sollicitudinem], ut sub eorum tutela, cives intra limites regni ab incursu

-10-

hostili tuti, tranquille vivant. Hinc illud Claudiani ad Honorium Imperatorem.

Te civem patremque geras, Tu consule cunctis.

Optime proinde majorum nostrorum Rex Dignerus, ideo se regios honores accepisse dixit, ut subditi tuto & juste viverent, ut refert Johannes M. l. 7. c. 24. Et defensionis iustitia [justitia] non modo ad illatam injuriam, sed & ingruentem pertinet; *Dummodo suspicioni signa timore non indigna accedant*, ut loquitur Besoldus de arte jure[ue] belli. Satius quippe est occurrere malo in tempore, quam post vulneratam, ut loquuntur, causam remedium quærere. *Personarum & bonorum* defensionem etiam princeps juste suscipere potest, quippe omni studio in id incumbere tenetur, ut nihil damni sentiat resp. sibi a supremo Numine commissa, civesque in ea degentes, qua famam, qua leges, qua libertatem & fortunas.

VI{.}

Defensionem legitimam bello justam præbere causam assertum est: nunc superest, ut ostendamus etiam ob *vindictam* juste bella suscipi. Et ut in naturam rei penitius inquiratur, talis vindictæ legitimæ definitio esse poterit: *Est offensio justa, quæ vel ad res per vim ereptus recuperandum, vel ad illatas enormes injurias vindicandum instituitur*. Huc spectant 1. *Personarum ac rerum repetitio*. Sic Abrahamus Reges, Gen: 14. David Amalechitas deprædantes, 1. Sam. 30. persecuti sunt. Hoc enim legibus & rectæ rationi congruum est, ut quilibet rebus partis secure fruatur; & quidquid improbitas per vim abstulit, juste recuperatur. 2. *Legatorum violatio* etiam justa novere arma potest. Sunt enim legati jure gentium sacrosancti, & ab omni injuria tuti esse debent. *Hinc legatorum nomen apud omnes gentes sanctum & inviolabile semper fuit*: ut loquitur Cæs[ar] l. 3. bell. Gall. *Unde Corinthiorum urbs ideo a Romanis fuit eversa, quod ab iis legati durius essent habiti, & sordibus perfusi*, Cic[icero] pro leg. Man. Sic David injuriam legato illatam strenue

-11-

ultus est, 2. Sam. 10. Huc referenda 3. est *pactorum violatio*: foedera quippe temere frangenda non sunt, & *si ullibi, hoc certe in contractu bona fides necessaria probatur*, Besold. de jure foed. *semper enim quasi divina necessitate in perjuros animadversum est, ut & divinam ultionem, & humanam infamiam contraxerint*, ait Aristot. in Reth. ad Alex. c. 18. 4. Legitima belli censetur causa, si quis *absque justa causa suis prohibeatur commodis*: veluti agro, mari, commerciis, portibus, dummodo usus horum cum damno aliquo hostis conjunctus non fuerat. Ita enim Trismegistus in lib. de natura Deorum: *in portibus, navigationibus, communicationibus, commoditatibus, alternæ humanitatis nexus est fortissimus*. Et Sen[eca] lib{.} 5. nat. quæst. cap. 18. *Deus omnibus inter se populis per ventum commercium dedit, & gentes dissipatas locis miscuit, ingens beneficium, si illud in injuriam suam hominum non vertat furor*. 5. *Cum hostibus conjunctio* justam bello præbere causam potest; Qui enim se cum hoste conjungit, haud injuria eodem habendus est loco, quo hostis; & sic justis eum invaseris armis. 6. Si per regionem alicujus innoxius denegetur transitus, Num. 10. & 21. cum hostis nihil exinde senserit damni, & necessario hac via tendendum sit. Huc accedit, si oblato legitimo pretio alimenta transeuntibus invide subtrahantur. Jud. 8. v. 5. Hæ sunt potiores causæ, quas apud Politicos mihi videre contigit, cur justa offensione hostem aggredi licet. Viderint tamen illi, qui purpura[m] & sceptris fulgent, ne levem ob causam bella moveant. *Veluti enim Dracones exuentes sanguinem elephantorum perdunt elephantos, sed & ipsi pereunt: ita in bello utraque pars damno afficitur; peremit & perit*. Plin[ius] l. 8. c. 12. Nec causæ nimis antiquæ sunt arcessendæ, sed satisfactio est prius urgenda, & conciliatio per arbitros non negligenda. Laudatur hoc nomine Augustus, *quod nulli genti sine justis & necessariis causis bellum intulerit*, apud Svet[onius] vit. Aug. c. 20. Celebrantur Lucullus & Scipio, qui dixerunt, *se malle unum civem servare, quam mille hostes oc-*

-12-

cidere, apud Plut[archum] in Lucullo. Hæc breviter de bello ejusque legitimis causis perstringere placuit. Esset quidem jam de bello legitime gerendo & finiendo agendum, ut & de in justis atque occultis belli causis, quales sunt 1. *Inordinata dominandi libido*, quam Alexandro Magno exprobrarunt Schytæ: *Si Dii habitum corporis tui animi aviditati parem esse voluissent; orbis te non caperet: altera manu orientem, altera occidentem contingeres, & hoc adsequutus, scire velles, ubi tanti Numinis fulgor conderetur. Sic quoq[ue] concupiscis, quæ non capis.* &c. Curt. l. 7. c. 8. 2. *Ambitio*, prisca bellandi causa, ut habet Sallust[ius] 3. *Nocendi cupiditas*. 4. *Nimia felicitas*. 5. *Ulciscendi crudelitas*. 6. *Avaritia*. Sed temporis angustia & sumptuum moles vetant hæc fusius persequi. A Te idcirco B. L. unice flagito, ut hoc, quicquid fuerit, boni consulere digneris.

SOLI DEO HONOS PERENNIS!

-13-

In eruditam Pereximii & Literatissimi Domini
NICOLAI LECHANDRI,
Philosoph. *Candidati* meritissimi, amici & Commilitonis perindustrii, Disputationem de *Bello*, ut vocant, gradualem, pentesticon extemporaneum:

Ut docet indomitos socios *Mars* armiger usque
Præmia militæ pulverulenta sequi,
Seu sprete pietate velint consurgere in arma,
Seu tremulo patrios ense tueri [päälle korjattu käsin: fuere] focus:
Sic docet *Aoniam* pubem *Dea Gorgone sæva*
Scire modo adversas, sternere non, acies.
Ille movere jubet bellum, dignoscere at hæcce,
Scilicet officio dignus uterque suo.
Pallados es non *Martis* amor, qui *Pallados* arte
Describis bellum, *Marte* licet proprio,

Quod applausus & honoris causa dedit
AND. WANOCHIUS
Phil. Pract. Prof. Ord.
& h. a. Stip. i<n>sp.

-14-

Achrelius / Lechander 1682 – Dissertatio politica de bello ejusque causis

”Poliittinen väitös sodasta ja sen syistä”

Avainsanat: sota (oikeutus), kristityt

Väitös tarkastelee sotaa. Pohdittuja kysymyksiä ovat esimerkiksi: voiko kristitty käydä sotaa, mitkä syyt oikeuttavat sodan ja mistä syistä sota ei voi olla oikeutettu.

"A political dissertation on war and its causes"

Keywords: war (justification of), Christians

The dissertation studies war. Among other things, it poses questions about whether a Christian can wage war, what reasons there can be to justify war, and which reasons never justify war.

"Politisk dissertation om krig och dess orsaker"

Nyckelord: krig, kristen, krigsföring

Dissertationen granskar krig. Frågor som ställs är, exempelvis, huruvida en kristen kan utkämpa krig, vilka skäl som kan rättfärdiga krig och vilka som å sin sida aldrig rättfärdigar krigsföring.